



**De iudiciis dogmatum controuersorum in Ecclesia theses  
theologicae : de quibus 13 Martij, hora 7 matutina in auditorio  
theologorum disputatio habebitur**

<https://hdl.handle.net/1874/423581>

92


6

DE IVDICIIS DO-  
GMATVM CONTROVER-  
SORVM IN ECCLESIA THESES  
Theologicæ, de quibus 13 Martij, ho-  
ra 7 matutina in auditorio Theo-  
logorum disputatio ha-  
bebitur,

PRAESIDE

GEORGIO SOHN S. THEO-  
logiæ Doctore, & in Academia Hey-  
delbergensi professore,

RESPONDENTE CHRISTOPHORO  
Vulteio Vvetterano Hasso.



HEIDELBERGA,  
TYPIS IACOBI MYLII,

III  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL

V  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL



CIVIL  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL  
CIVIL

ILLVSTRISSIMO PRIN-  
CIPi AC DOMINO Dn. IOANNI  
CASIMIRO COMITI PALATINI AD  
*Rhenum, tutori & administratori Electoralis Palat-  
tinatus, &c. Domino suo cle-  
mentissimo.*

**V**ETVS est consuetudo, Illustrissime & potentissime Prin-  
ceps, & in Ecclesia Israelitica & Christiana, inprimis autem  
Christiana, frequenter vsurpata, vt si controuersia de dogma-  
tibus fidei obortę essent, conuentus legitimi haberentur, & iudicia  
Ecclesiastica exercerentur. Sic enim in Ecclesia Israelitica de falsis  
Prophetis iudicari solitum est in Synedrio magno: In quo Christum  
etiam capitis condemnatum esse nonnulli existimant: Sic in Eccle-  
sia Christiana Apostoli Synodum habuerunt Hierosolyma, Act. 15.  
Sic postea in praxi Ecclesię obseruatum fuit, cum necessitas postularet,  
& per persecuciones liceret, vt Synodi cogerentur.

Atque hic Imperatores & Principes Christiani saepe operam  
suam in cogendis Synodis & moderandis prestiterunt, vt Constanti-  
nus Magnus, Theodosius, Marcianus, & multi alij. Deniq; canoni-  
cus Ecclesiasticis & Legibus Imperatorum de ordine iudiciorum Ec-  
clesiasticorum est constitutum. Quamobrem superioribus annis,  
cum de dogmatibus fidei controuersię motę essent, ordines Imperij  
protestantes, quoddam Pape preiudicijs & iniquis condemnationibus  
grauarentur, Synodum & Iudicium legitimum sepę postularunt: Et  
similiter hodie in presentibus controuersijs multi postulant, & vt or-  
do Iudicij in Ecclesiam reuocetur, & vsurpetur, vrgent. Sed quia  
alij alium processum antea inusitatum magis probant & sequuntur,  
& iudicia priuata cum publicis confundunt, & pro publicis haberi  
volunt: fit vt de Iudicijs dogmatum controuersorum, & inprimis de  
condemnationibus falsorum dogmatum disputetur in Ecclesia. Que  
disputatio cum iam late pateat, opere precium me facturum putauit, si  
de hac re disputationem ad illustrandam veritatem, & informandam  
studiosam iuuentutem instituerem. Et quia tibi, Illustrissime prin-  
ceps, veritatem doctrine cęlestis, & Ecclesię incolumitatem pre mul-  
tis alijs curę esse scio, hanc breuem tractationem, & ut in eiusmodi  
scriptione fieri solet, concisam, Celsitudini tuę inscribendam esse du-  
xi, non ut Cels. tuam de his rebus erudirem, in quibus iam dudum eru-  
ditus es, sed potius ut confirmarem, & meam erga C. tuam a qua nu-  
per ad hanc stationem vocatus sum, obseruantiam & studium qua-


dantenus declararem. Maeste igitur illustrissime Princeps, & exem-  
plo patris tui Principis pijsissimi & constantissimi quod potes  
vnà cum alijs ad Ecclesie edificationem, purioris doctrine propa-  
gationem, & Iudiciorum Ecclesiasticorum legitimam vsurpationem  
promouendam, porro age. Si cessant, qui cessare non debent; si non  
mouentur hoc statu Ecclesie, qui moueri debent; si non exaudiunt  
vota piorum, qui exaudire debent; si pacem denegant, & nunc corpus  
Ecclesie magis ac magis discindi pariuntur: tamen tandem ad iusti-  
tiam reuertetur iudicium, & ei adhibebunt omnes recti corde, sicut  
dicitur Psal. 94: Er Dei iudicia experientur, qui hominum iudicia  
aspernantur. Deum patrem Domini nostri Iesu Christi veris ge-  
nitibus oro, vt Cels. tuam diu incolumem conferuet, & omni bene-  
dictione spirituali & corporali locupletet. Heidelberg, 5 Martij,  
Anno 1585.

*Illustrissime Cels. tue  
additissimus*

*Georgius Sobn.*

DE IUDICIIS DOGMATVM  
CONTROVERSORVM IN  
Ecclesia.

*Thesis I.*

 *VOD* de Iudicijs dogmatum in Ecclesia contro-  
versorum me disputaturum nuper pollicitus fui,  
cum de dogmatibus veris & falsis in Ecclesia di-  
sputationem haberem: iam cum Deo prestabo.

*I I.*

*Iudicium igitur hinc generatim intelligo, quod de con-  
trouersijs dogmatum in Ecclesia, secundum normam verbi  
diuini ab hominibus ad propagandam veritatem, edificandam  
Ecclesiam, & illustrandam gloriam Dei exercetur.*

*I I I.*

*Hac definitio paucis declaranda, & suis causis aper-  
tius exponenda erit.*

*I I I I.*

*Ergo iudicium humanum hinc intelligitur, id est, quod  
ab hominibus in Ecclesia exercetur.*

*V.*

*Materia seu res, de quibus iudicatur, sunt controuersie,  
sive nouae prorsus, sive renouatae; sive priuatae, sive pub-  
licae, & tum de dogmatibus ipsis controuersis, tum de perso-  
nis dogmata controuertentibus.*

*V I.*

*Norma Iudicij est & esse debet verbum Dei, seu Scri-  
ptura Prophetica & Apostolica, Esa. 8, v. 20: Luc. 16, v. 29:  
Ioan. 5, v. 39: & ad Timot. 3, v. 16.*

*V I I.*

*Forma Iudicij est in tribus partibus, nempe causa  
cognitione,*

cognitione, sententia dictione & executione: de quibus ordine dicitur.

VIII.

Causa cognitio seu Iudicium cognitionis est, cum causa controuersa ante sententia dictionem legitime discutitur, & expenditur, iure diuino & humano necessarium.

IX.

Ergo Iudicium cognitionis seu causa cognitio fit ante sententia dictionem, & verò iure diuino & humano fieri debet.

X.

Iure diuino, vt Deut. 13, v. 14, & 17, v. 4, Ecclesiast. 11, v. 7, & ad Theff. 5, v. 21, & Iob. 4, v. 1.

XI.

Iure humano cum naturali seu Gentium, cum Ciuili: quia ratio dicitur, atque aequitas suadet, non ferendam esse sententiam, nisi causa prius cognita perspecta q; fuerit: vnde de illud Creopagitarum, ἀμφοῖν ἀποῶσαι: & illud Seneca, qui parte inaudita altera statuit, equum licet statuerit, non est aequus tamen.

XII.

Porrò causa cognitio legitime fieri debet: hoc est, cum iuste, tum prudenter.

XIII.

Iuste fieri debet causa cognitio, vt videlicet obstacula omnia, qua impedire cognitionem possunt, aut solent, aueruantur.

XIIII.

Itaque simplicitas columbina hic requiritur, de qua Matib. 10 dicitur.

Obsta-

XV.

Obstacula hinc tum interna, tum externa intelliguntur.

XVI.

Interna, ut curiositas, affectus animi, amor, odium, ira, invidia, ambitio, φιλαυτία seu δόξοφία, id est, falsa presuntio, ac vana persuasio scientiæ aut eloquentiæ, φιλοσύνεσις, & ὑπόθεσις. præiudicium, & id genus alia.

XVII.

Externa, ut calumnia & conuitia, quibus tum dogmata ipsa, tum personæ dogmata profitentes, quandoque deformantur: dissidiorum acerbitas inter partes: exilium, periculum, odium, iactura commodorum temporalium, ignominia, &c. quæ ob dogmatis alicuius professionem, aut sententiæ mutationem videntur imminere.

XVIII.

Prudenter fieri debet causæ cognitio, videlicet ut mediæ seu adminicula, quæ cognitionem iuuant ac promouent, rectè adhibeantur.

XIX.

Itaque prudentia serpentina hinc requiritur, de qua Matth. 10 dicitur.

XX.

Mediæ hinc duo sunt præcipuè, quibus uti possumus, Oratio & studium diligens.

XXI.

Oratio est, cum humiliter à Deo petimus, ut nobis clementer adesse in cognitione causæ controuersæ, & studium nostrum fortunare, atque intellectum illuminare velit: quomodo orat David Psal. 119, v. 64, & Esaias cap. 8, v. 16, & Christus Ioh. 17, v. 17, & Iacobus orare iubet cap. 1.

Nam



XXII.

Nam ipse solus est, qui studium nostrum fortunare potest: ipse habet clauem David, ipse claudit & aperit, Apocal. 3. Ipse dat sapientiam omnibus postulanti- bus cum fide, Iac. 1, v. 5.

XXIII.

Studium est, cum in causa cognitionem pro virili no- stra incumbimus.

XXIII.

Studium illud positum est, tum in lectione sedula vel auscultatione, tum in meditatione.

XXV.

Lectione vel auscultatio est eorum, quae vtrinq; scribun- tur aut dicuntur.

XXVI.

Meditatio est tum de statu cause, tum de funda- mentis.

XXVII.

Hic igitur examinanda & cum norma iudiciaria conferenda sunt, quae vtrinq; afferuntur: & tum de Dog- matibus ipsis, tum de personis controuertentibus accurate est obseruandum.

XXVIII.

De Dogmatibus, verane an falsa sint, id est, consen- tiantne cum norma iudiciaria seu verbo Dei, an vero pu- gnent: ac rursum quae vera sunt dogmata, principaliter an sint, an minus principalia: & quae falsa sunt dogmata, id est, erro- res, leuiore ne sint an grauiore.

XXIX.

De personis controuertentibus, recte ne sentiant, an errent: Et si errant, quomodo errent, in leuiore ne an gra- uiore

uiore errore versentur, siue seducentes, siue seducti: & in  
grauiore errore sintne pertinaces, siue ex ignorantia affes-  
tata, aut cæco zelo, siue ex malitia: an verò sine pertina-  
cia sic errent ex mera infirmitate, id est, ex simplicitate aut  
stulta credulitate.

XXX.

Nec enim illicò error est, quia quibusdam error di-  
citur aut putatur, aut talis error, qualis dicitur aut putas-  
tur: nec re ipsa omnes errant, qui errare dicuntur aut putan-  
tur, aut eo modo errant, sicut errare dicuntur aut putantur.

XXXI.

Sententiæ dictio est, cum de controuersia rectè cog-  
nita legitime statuitur & definitur.

XXXII.

Ergo sententiæ dictio legitime, id est, post sufficientem  
causæ cognitionem demum, & causæ cognitioni con-  
gruenter fieri debet: vt nec statuamus priusquam cognoue-  
rimus, nec aliter quàm cognouerimus, statuamus, Exod. 20,  
v. 16, Ecclesiast. 11, v. 7.

XXXIII.

Partes sententiæ dictionis duæ sunt: absolutio seu ius-  
tificatio, & damnatio.

XXXIIII.

Iustificatio est, qua causa vera iustaq; approbatur.

XXXV.

Iustificatio illa est de dogmatibus controuersis, &  
de personis atque hominibus dogmata controuersa profi-  
centibus.

XXXVI.

De dogmatibus controuersis, quòd vera sint: ac rursus  
vel principalia vel minus principalia.

**XXXVII.**

De personis, quod vera dogmata profiteantur, siue principalia, siue minus principalia.

**XXXVIII.**

Damnatio est, qua falsa causa iniustaque impro-  
batur.

**XXXIX.**

Damnatio similiter est de dogmatibus controuersis,  
& personis dogmata controuersa profitentibus.

**XL.**

De dogmatibus, quod falsa sint, id est, quod sint erro-  
res siue leuiiores, siue grauiiores.

**XLI.**

De personis, quod falsa dogmata profiteantur, id est,  
quod in erroribus versentur, siue leuioribus, siue grauioribus,  
siue pertinaciter, siue sine pertinacia.

**XLII.**

Damnatio rursus est nuda atq; simplex, vel cum ana-  
themate coniuncta.

**XLIII.**

Damnatio nuda est erroris leuioris.

**XLIIII.**

Damnatio cum anathemate coniuncta est erroris  
grauioris, & quidem tanto magis, quanto manifestior est er-  
ror & perniciosior.

**XLV.**

Executio, seu iudicium executionis est, cum sententia legitime lata sopienda, id est, minuenda tollendaue con-  
trouersie studium suscipitur.

**XLVI.**

Ergo ubi de controuersia legitime definitum & de-  
cisum

cisum est , de ea minuenda tollendâue laborandum.

XLVII.

Nec enim satis est in Ecclesia de dogmatum contro-  
uersorum veritate aut falsitate, de hominum Sinceritate in  
doctrina aut erroribus statuere & definire : sed opus est, vt  
zelum pro gloria Dei, pro defensione veritatis & adifica-  
tione Ecclesiæ, & studium minuendæ tollendæq; controuersia,  
suo quisq; loco, suscipiamus, Job. 2, v. 17, Eccles. 4. v 33

XLVIII.

Studium illud & executio identidem esse debet de do-  
gmatibus & personis dogmata profitentibus.

XLIX.

De dogmatibus, aut vera propagentur, falsa cohibean-  
tur & è medio tollantur.

L.

De personis dogmata profitentibus, vt rectè sentiens  
ees, inprimis illi, quorum opera Ecclesiæ maxime utilis esse  
potest, foucantur, iuuentur & promoueantur : errantes pro  
ratione errorum & actionum coëerceantur, quemadmodum  
suis in locis speciatim dicetur.

LI.

Forma igitur iudicij in tribus illis partibus est eius-  
modi. Finis iudicij duplex est, alter propinquior, alter  
remotior.

LII.

Propinquior est, tum propagatio veritatis, tum adi-  
ficatio Ecclesiæ.

LIII.

Remotior est illustratio gloria Dei.

LIIII.

Itaq; in iudicio dogmatum huc sedulò contendendum est, ut hos fines suo quisq; loco consequamur.

L V.

Hactenus quid sit iudicium expositum est: nunc quod duplex sit, exponam.

LVI.

Iudicium dogmatum est duplex, aliud primum, aliud secundarium: liceat enim his vocabulis docendi causa uti.

LVII.

Iudicium primum est, quod est  $\kappa\alpha\tau\alpha\ \tau\omicron\ \pi\iota\sigma\omicron\varsigma$ , & per se valet, omni exceptione maior, ab ijs quorum vox seu norma fuit probandorum dogmatum & improbandorum factum.

LVIII.

In quo iudicio cause cognitio est planè admirabilis, sententia dictio irrefragabilis, ut ab ea prouocare nemini liceat; executio sæpè miraculosa.

LIX.

Quod iudicium tum in veteri, tum in nouo Testamento est.

LX.

In veteri Testamento, ut Prophetarum passim in populo Israëlítico, atque in primis Elie, 1. Reg. cap. 18: quia vis delicti immediatè à Deo vocati & spiritu Dei afflati erant.

LXI.

In nouo Testamento, ut Christi ipsius adhuc in his terris versantis & Apostolorum.

LXII.

Christi videlicet passim in Iudæa, præsertim aduersus Pharisæos

*Phariseos & Sadduceos: quia ipso datus est à Patre summus Propheta, penes quem esset omne iudicium.*

*LXIII.*

*Apostolorum, videlicet passim in orbe terrarum, non solum quia immediatè à Christo vocati & Spiritu Dei afflati erant, sed etiam quia potestas generalis à Christo eis in omnes Ecclesias in orbe terrarum erat attributa, Matth. 28, v. 19, 2 Cor. 10, v. 5 & 6.*

*LXIIII.*

*Apostolorum iterum, tum singulorum tum plurium coniunctim.*

*LXV.*

*Singulorum, ut Pauli Act. 13, v. 8 & seq. ad Gal. 1, v. 8, 2 ad Timoth. 2, v. 17: & Iohannis Euangelium suum aduersus Ebionem & Cerinthum scribentis, eosque Apostolica auctoritate tacite damnantis, sicut ex historia Ecclesiastica constat.*

*LXVI.*

*Apostolorum plurium coniunctim, ut in duabus illis Synodis Hierosolymitanis, Act. cap. 11, v. 1 & seq. & cap. 15, v. 6 & seq. In quibus Cerinthum & Ebionem idem damnatos esse Epiphanius & alij existimant.*

*LXVII.*

*Hactenus de iudicio primario: Iudicium secundarium est, quod per se non valet, sed quatenus cum verbo Dei à Prophetis, Christo & Apostolis prodito congruit: vel, quod secundum verbum Dei à Prophetis Christo & Apostolis traditum ab hominibus alijs in Ecclesia exercetur.*

LXVIII.

Quod iudicium duplex est: aliud privatum, aliud publicum.

LXIX.

Iudicium privatum est quod à fidelibus privato consilio & voluntate exercetur.

LXX.

Nam unusquisque obligatus est ad cognoscendam veritatem: unusquisque debet scire veritatem & profiteri, Thess. 5, v. 21, & Ioh. 4, v. 1.

LXXI.

A fidelibus illis exercetur vel singulis, vel pluribus simul: & verisq; vel pastoribus & doctoribus, vel alijs.

LXXII.

Nam pastores & doctores singuli, quamvis publico funguntur officio in Ecclesijs & Scholis: tamen cum de dogmatibus controuersis suo quisque loco iudicant, privatum, non publicum, iudicium exercent.

LXXIII.

Et similiter, cum plures siue Pastores & Doctores, siue alij fideles suo loco iudicant & apud se statuunt, privatum, non publicum, iudicium faciunt.

LXXIII.

Porrò in iudicio privato cause cognitio privato cuiusque studio & pro cuiusque modulo fieri debet, sicut Christus fieri iubet Iohan. 5, & sicut à Berzensisibus factum esse egimus Act. 17, v. 11.

LXXV.

Ac hodie quidem fieri debet è sententiarum collatione  
sue

sive scripta, sive vocali, & utraq, sive privatim sive publicè  
facta, ut in disputatione domestica vel scholastica & in scrip-  
tione editioneq, librorum.

LXXVI.

Hic parentes liberos, domini seruos, magistratus sub-  
ditos suos, alij alios fidei suæ commissos monere & inuitare  
seruò debent, ut audiant & cognoscant controuersiam, præ-  
sertim si obstaculis illis, de quibus supra dictum est, eos præ-  
pediri, retardariq, videant.

LXXVII.

Nam & necesse est, ut illi hoc postulent, sicut dicitur  
Luc. 22, v. 32. et tu conuersus confirma fratres tuos: & æ-  
quum ut hi illud præstent, id est, audiant & cognoscant.

LXXVIII.

Nam externa hac disciplina est, & bonâ conscientia  
præstari potest.

LXXIX.

Omnes enim obligati sunt ad audiendum & ad cogno-  
scendum veritatem.

LXXX.

Sententia dictio hic fieri debet, ut dogma, de quo iam  
cognitum est, iustificetur vel damnetur, id est, probetur  
vel improbetur, ut ad Thess. 5, v. 21: Imò ut erranti anathe-  
ma dicatur, si error non solum grauior, sed etiam manifestior  
& perniciosior videatur.

LXXXI.

Sententia hoc loco, sive privatim sive publicè dicitur  
aut scribitur, tamen priuata esse non desinit, quoniam  
à priuato



à priuato consilio & arbitrio proficiscitur, vt in templo pro concione, in disputatione scholastica, in editione confessionis alterutrius partis litigantis, siue cum subscriptione speciali, siue sine subscriptione.

### LXXXII.

Itaque alijs secus sentientibus hæc priuata sententia non præiudicat aut præiudicare potest, nec publicum ac solennem iudiciorum ordinem impedit, aut impedire debet.

### LXXXIII.

Nam de dogmate satis cognito statuere, id est, iustificare dogma vel probare, si verum esse cognouerint, vel si falsum esse deprehenderit, damnare & improbare possunt, tum singuli suo loco & suâ priuatâ sententiâ, vt pastores in templo, aut vbi cunq; fert occasio, & alij similiter pro re nata & incidente necessitate: tum plures simul, vt in confessionibus partialibus interdum fieri solet: Sed tamen alijs præiudicare & solennem & publicum iudiciorum ordinem impedire nec possunt, nec debent, 1 Cor. 14, v. 29, 30, 31, 32.

### LXXXIIII.

Sic à parte in partem damnatio sæpe dicitur aut scribitur, vt à Papa in Lutherum, & vicissim à Luthero atq; alijs in Papam.

### LXXXV.

Executio hæc esse debet pro fidelis cuiusq; persona, officio & facultate, tum in rectè sentientes, tum in errantes.

### LXXXVI.

In rectè sentientes, vt eos foueat ac inuet suo quisque loco

loco & pro facultate sua, præcipueq; magistratus politicus,  
& alij qui consilio & authoritate pollent.

### LXXXVII.

In errantes, tum generatim, ut eos suo quisq; loco ad-  
moneat, obiurget aut fugiat, & declinet, sicut omnibus præ-  
cipitur, Matth. 7, v. 15: ad Rom. 16, v. 17: ad Tit. 3, v. 10:  
2 Iohan. 1, v. 10: & quantum in se est, reprimat & impes-  
diat: tum speciatim, ut pastores pro grege vigilant & er-  
rantes resutent, Actor. 20, v. 28: ad Tit. 1, v. 9 & 11: & ue  
magistratus coërceant contumaces, tranquillitatem Ecclesiæ  
& disciplinam externam tueantur & conseruent.

### LXXXVIII.

Nam magistratibus omnibus incumbit, ut sint custo-  
des utriusque tabula Decalogi, & ut non tantum ipsi sciant  
& profiteantur veram doctrinam, sed curent etiam hanc  
proponi subditis suis, & omnem aduersus eam in dictis & fa-  
ctis blasphemiam ac contumeliam inhibeant, petulantiam  
calumniandi & insectandi alios prohibeant, periculum erro-  
ris à subditis, & turbas ac scandala ab Ecclesijs, quoad pos-  
sunt, auertant, Deut. 17, v. 16: Psal. 2, v. 10.

### LXXXIX.

Imò quanto magis ipsorum, si veritatem doctrinæ ne-  
gligant, exemplum & authoritas nocet: tanto maior ipsi  
incumbit necessitas, ut præ cæteris hominibus priuatis eam  
serio curent.

### XC.

Iudicium priuatum est eiusmodi: quod olim sepe ad  
extinguendos errores sufficiebat.

C

Cum

## XCI.

Cum enim errores recens emergerent, sæpè ijs locis, ubi emergebant, pastorum vigilantia cohibebantur.

## XCII.

Iudicium publicum est, quod causa difficiliore oborta, à pluribus legitimam vocationem & publicam auctoritatem habentibus, & idoneis ac competentibus, certo ordine & solenni processu instituitur & exercetur.

## XCIII.

Ergò hoc iudicium exercetur, cum controversia difficilior ac grauior existit, nec Pastorum aut Doctorum, aliorumue studio & auctoritate sopiri aut componi potest, Matthæi 18, v. 17.

## XCIIII.

Exercetur porro, aut certè exerceri debet à iudicibus, non solum legitimam vocationem & auctoritatem publicam habentibus, sed etiam idoneis & competentibus, id est, qui habent ius & potestatem in eos, de quibus iudicandum est, vel quòd hi ipsorum subiecti sunt iurisdictioni, vel quòd ipsorum iudicium aliquo pacto aut consensu subierunt.

## XC V.

Ordo huius iudicij & processus est eiusmodi, ut Iudices sedeant, ut citentur qui controversias agitant & audiantur, ut coràm collatis sententijs & argumentis in timore Domini, vel si citati comparere sine iusta causa recusant, & iudicium defugiunt, ex libris eorum aut sermonibus causa discipretur.

petetur, Iob. 7, v. 51, vt sententia secundum verbum Dei ro-  
gentur, non extorqueantur, & ponderatis omnibus circum-  
stantijs prudenter libereq; pronuncientur: vt qualis sit error,  
leuior an grauior, declaretur: denique vt in errantes pro ras-  
sione erroris & actionum aliquid statuatur, id est, suspensio  
ab officio publico in Ecclesia, excommunicatio exilium  
aut similis pœna decernatur: Matth. 18, v. 17.

### XCVI.

Qui ordo iudicij & processus iure diuino & humano  
sancitur, & in epilogo prioris partis Augustanae Confessionis  
comprobatur, vt suis in locis specialim dicitur.

### XCVII.

Quem etiam in extremo illo iudicio Christus ipse serua-  
bit, citaturus omnes ad tribunal suum, conuicturus ipsorum  
conscientias, vt se accusent vel excusent ipsæ, & sententiam  
omnibus dicturus, atque executurus, id est, fideles absolutu-  
rus & glorificaturus: infideles damnaturus ac puniturus in  
omnem aeternitatem, Matth. 25, Rom. 14.

### XCVIII.

Hoc Iudicium porro duplex est: aliud minus, aliud  
maius.

### XCIX.

Iudicium minus instituitur & habetur vel in presby-  
terio, id est, cœtu pastoris & seniorum; vel in collegio Docto-  
rum seu consistorio siue Ecclesiastico siue Scholastico: in qui-  
bus si decidi & terminari controuersia potest, sufficit hoc ius  
dicium, nec ulterius progrediendum est.

C.

In presbyterio iudicium instituitur de controuersijs ad  
illam Ecclesiam pertinentibus, cum videlicet pastorum

concionibus & admonitionibus nihil proficitur, id est, non emendantur errantes aut emendari possunt.

C I.

Nam singulis Ecclesijs licet per homines ad hoc munus legitime vocatos, de membris suis, & de controuersijs membrorum suorum iudicare.

C II.

Quòd si presbyterium alicuius minoris Ecclesie ad definiendas controuersias illas non sufficit, ad Ecclesie maioris propinquæ presbyterium, cui præsumunt viri qui donis magis eximijs præditi sunt, recurri potest, ut causa ibi iudicetur, si necessitas ita postulare videatur.

C III.

In collegio Doctorum iudicium instituitur de controuersijs vel ad collegium illud immediate pertinentibus, vel consensu partium, aut à magistratu superiore, qui potestatem habet, eò deuolutis.

C IIII.

Sic in veteri Testamento in Ecclesia Israelitica iudicia exercuerunt Leuitæ & sacerdotes, uti apparet ex Deut. 17, & ex 2 Paral. cap. 19, ubi Iosaphatus ordinem iudiciorum deprauatum & corruptum tam Hierosolymæ quàm in alijs ciuitatibus Iudæe reformaturus, non solum Politicos, sed etiam Ecclesiasticos iudices passim constituit, qui secundùm  
Legis

Legis praescriptum de rebus Ecclesiasticis iudicare, id est, cognoscere & definire.

### CV.

Sic in synagogis Leuita & sacerdotes non tantum Legem interpretati sunt, sed etiam disciplinam Ecclesiasticam gubernarunt, atque adeo iurisdictionem suam habuerunt, & peculiaria iudicia Ecclesiastica: ut hodie consistoria: quorum neruus fuit, quod potestatem habuerunt eos, qui à doctrina Moysi & Prophetarum dissentirent, à societate cætus illius excludendi: quod erat ἀποσώζωτορ γιγνεσθα, Ioh. 12, v. 42.

### CVI.

Similiter in nouo Testamento presbyteria in Ecclesijs instituerunt Apostoli, ut in eis de doctrina & moribus iudicia, si res ita ferret, exercerentur, & tum errores, tum vitia à grege Dominico arcerentur, Actor. 14, v. 23 & c. 20, v. 28 & c. 21, v. 19, ad Tit. 1, v. 5.

### CVII.

Ita de Ario in presbyterio Ecclesia Alexandrina primum iudicium habitum, de causa ipsius cognitum & definitum est: atque ipse primum ab officio depositus, posteaque cum quiescere nollet, excommunicatus & vrbe Alexandria expulsus est.

### CVIII.

Iudicium maius exercetur in Synodo de controuersis

*sijs difficilioribus, & ad plures Ecclesias pertinentibus.*

**CIX.**

*Cum enim errantes iudicio stare presbyterij vel collegij nolunt, atq; adeo à minori iudicio causa terminari non possent, sed error latius disseminatur ac serpit, ad iudicium Synodicum res deuoluenda est.*

**CX.**

*Atque hic ad Synodum conuocandam, cum opus est, magistratus operam prestare debet, sicut olim saepe prestauit.*

**CXI.**

*Iudicium maius seu Synodicum exercetur in Synodo  $\mu\epsilon\gamma\iota\kappa\eta$  particulari, vel  $\delta\iota\kappa\omicron\upsilon\mu\epsilon\upsilon\iota\kappa\eta$  vniuersali.*

**CXII.**

*In Synodo particulari, rursus vel  $\tau\omicron\pi\iota\kappa\eta$ , id est, vnius dioceseos seu ditionis, vel provinciali, vel nationali.*

**CXIII.**

*In Synodo  $\tau\omicron\pi\iota\kappa\eta$ , vnius dioceseos, iudicium exercetur de controuersijs in ea orris, & ad eam pertinentibus.*

**CXIIII.**

*Quomodo de Samosatani & Arii controuersijs in Synodis iudicarunt vicini Episcopi: cum errores ipsorum serpserent, & cum necessitas ita postulare videretur.*

CXV.

*In Synodo provinciali iudicium exercetur de controversijs ad provinciam illam pertinentibus.*

CXVI.

*De qua re decretum extat Constantinopolitanae Synodi, quo definiunt Patres, ut si quid in Provincia qualibet emergeret, in provinciae Concilio finiretur: hist. trip. libr. 9, cap. 13.*

CXVII.

*Quomodo de Arianis, Novatianis, Donatistis, Pelagianis olim iudicatum est, cum causae magnitudo ac difficultas postularer.*

CXVIII.

*In Synodo Nationali iudicium exercetur de controversijs ad Nationem, id est, non ad unius provinciae, sed plurimum provinciarum & regnorum Ecclesias pertinentibus.*

CXIX.

*Quale iudicium fuit de Pelagio in Synodo Cartaginensi secunda, ex totius Africae provincijs collecta, &c.*

CXX.

*In Synodo Oecumenica seu uniuersali iudicium exercetur de controversijs ad uniuersas Ecclesias, seu totum orbem Christianum spectantibus.*

CXXI.

*Ad quod iudicium veluti supremum in Ecclesia, olim per illos Ecclesiastici ordinis, & iudiciorum publicorum gradus, & non nisi communi totius Ecclesiae necessitate postulante, ventum est.*

*Tale*



### CXXII.

Tale iudicium fuit de controuersia Arij, Deitatem Christi negantis, in Synodo Nicena: & Macedonij, Deitatem Spiritus S. oppugnantis, in Synodo Constantinopolitana prima: & Nestorij unitatem personæ Christi negantis, in Synodo Ephesina: & Eutychez, naturas in Christo earumque proprietates confundentis, ac proinde naturarum in Christo, & proprietatum distinctionem oppugnantis, in Synodo Calcedonensi, &c.

### CXXIII.

Quarum Synodorum, propter manifestum cum Scriptura consensum, & apud omnes Orthodoxos in confesso positum, summa semper autoritas fuit.

### CXXIIII.

Ergo hi sunt gradus iudiciorum publicorum & solennium in Ecclesia, de quibus generatim docetur 1 ad Corint. 14, v. 40. (nam istic ordo, ut in rebus omnibus, sic in iudicijs Ecclesiasticis præcipitur) & qui felicioribus Ecclesiæ temporibus, præsertim cum magistratus essent Christiani, disti dijs in Ecclesia gliscentibus, sæpe pro incidente necessitate usurpati sunt, ut ex historia Ecclesiastica constat.

### LXXV.

Atque hæc iudicia ut sunt particularia vel uniuersalia, sic plus vel minus ligant.

Itaque

CXXVI.

*Itaq; à minoribus ad maiora prouocare licet.*

CXXVII.

*Et hætenus quidem de iudicio secundario, tum priuato, tum publico: quorum vtrunque porro est de controuersijs dogmatum vel adhuc pendentibus, id est, non iudicatis publicè & solenniter, vel iudicatis.*

CXXVIII.

*De controuersijs adhuc pendentibus, iudicium priuatum esse debet in examinatione diligenti dogmatis controuersi, in sententiæ dictione conformi, id est, probatione vel improbatione, & executione conuenienti ac moderata, donec iudicium publicum & solenne habeatur: & quidem tantò accuratius esse debet, quantò diutius publicum Ecclesiæ iudicium suspenditur & differtur, & quantò manifestius ac perniciosius est dogma, de quo contenditur.*

CXXIX.

*Neque hoc iudicium vt exerceri non potest, ita etiam institui non debet in fraudem iudicij publici, id est, ita vt exterioris & conquisitis hinc inde suffragijs aut subscriptionibus Ecclesiæ praiudicetur, aut iudicium publicum & ordinarium impediatur.*

CXXX.

*Contra verò hic omnium præcipueq; Pastorum & Magistratum*

*stratum studium esse debet ut iudicium publicum, & pro ratione circumstantiarum, ac pro magnitudine & difficultate controuersia Synodus particularis aut vniuersalis procuretur.*

CXXXI.

*De controuersijs adhuc pendentibus iudicium publicum institui & exerceri potest & debet, vel minus vel maius, pro controuersiarum quae agitantur & circumstantiarum ratione.*

CXXXII.

*Aliud enim de controuersijs iam primum erumpentibus, & in paucis locis ac personis haerentibus, aliud de illis, quae late vagantur, iudicium instituendum est.*

CXXXIII.

*De controuersijs publicè & solenniter, praesertim in Synodo olim iudicatis, iudicium publicum iterum esse potest, quando dubium est, an controuersia noua similis sit veteri olim iudicata, aut quando circumstantiae nouae sunt, quae Synodum postulant.*

CXXXIIII.

*Estque hoc iudicium in anteaactorum disquisitione & examinatione, & cum nouis & posterioribus actis collatione diligenti: in sententiae veteris confirmatione solenni, & executione simili, pro temporum, locorum & personarum ratione.*

CXXXV.

*De rebus iudicatis iudicium priuatum facile & expeditum esse potest, siue olim res iudicata sit, siue recens: & recens*

cens iterum, siue nouum planè iudicium factum sit, siue res  
ceris Ecclesia iudicium repetitum atq; confirmatum.

CXXXVI.

Hic enim Iudicium publicum ante factum suo quisq;  
loco sequi potest.

CXXXVII.

Primum igitur cognoscendum, an & quomodo contro-  
uersa sit iudicata: Deinde, qua & qualis sit publica Ec-  
clesiæ sententia.

CXXXVIII.

Nam qui iam ante, siue olim, siue recens, legitimo &  
consentienti Ecclesiæ iudicio ac testimonio condemnati sunt,  
non à nobis condemnantur, sed pro condemnatis & hareti-  
cis à singulis agnoscuntur & habentur.

CXXXIX.

Deniq; cui hic, quod sui muneris esse intelligit, studios  
se esse exequendum.

CXL.

Nam quanto magis ex publico Ecclesiæ Iudicio de falsi-  
tate impietateque dogmatis controuersi constat: tanto ma-  
gis à singulis suscipi atque exerceri executio debet, tum à pa-  
storibus & doctoribus, tum ab auditoribus.

CXLI.

A Pastoribus & Doctoribus, ut decretum publicum Ecclesiæ

& sententiam verbo tueantur & defendant, & errantes admoneant, obiurgent, corrigant.

CXLII.

Ab auditoribus, tum generatim, ut omnes acquiescant decreto: ut fugiant ac declinent, ut coërceant & impediant errantes, quoad possunt, & ipsos decet: tum speciatim, ut Magistratus, qui potestatem habent, reformandas curent Ecclesias ditionis suæ, arceant hereticos seu falsos Doctores, aut pro re nata coërceant, libros perniciosos aboleant: sententiam seu decretum publicum Ecclesie defendant, disciplinam externam, pacem ac concordiam restituant: ut item parentes, domini domestici, præceptores & alij fidei suæ commissos admoneant, obiurgent, & quatenus cuiusque personæ & officio congruit, cohibeant.

CXLIII.

Hæc de iudicijs dogmatum in Ecclesia dicta sunt: ex quibus omnibus apparet, graviter peccare illos in Deum, in Ecclesiam, in ipsam naturæ Legem & publicam equitatem, primùm, qui Concilium Tridentinum, in quo ex paucis orbis Christiani partibus Episcopi conuenerunt: in quo iidem Actores & Iudices fuerunt: in quo non solum Scripturam Propheticam & Apostolicam, sed etiam libros Apocryphos & traditiones pro norma iudiciaria adhibuerunt: in quo alteram partem nec auditam nec conuictam damnarunt & anathematizarunt: denique quod non modo non Oecumenicum, sed etiam per se nullum esse, Ordines Im-


perij

perij Protestantes suo tempore & loco demonstrarunt : pro concilio Oecumenico, vniuersali & legitimo haberi volunt.

CXLIIII.

Deinde, qui cū opus est Synodis & Iudicijs publicis in Ecclesia, iudicia aut impediunt, aut confundunt, & iudicium priuatum, quod extra Synodum à parte factum est in partem, pro publico & solenni haberi, & priuatam damnationem à parte, non presente altera parte nec audita, & tamen audiri cupiente factam, publicæ damnationis vim & auctoritatem obtinere, & executionem publicè fieri passim vellent.

F I N I S.



1014500

HEYDELBERGAE



M. D. LXXXV.

HEYDEBERGAE



MDCCLXXXV



